

tur, ne peccatis in Infernum mergatur. Cetera patent ex dictis, & ex quast. sequenti.

QUESTIO III.

Quid dexter oculus, ac manus significant?

14. Hieron.

August. Paschas. Hilarius. Athanas. Pacianus. Theophil. Euthym. Hieron.

Religiosus secularibus se non implicet negotiis. Hieron.

Levitic. 21.

15. Imperfect. D. Thom.

16. Imperfect. Opera pia si parant offendicula, amputanda.

Rupert. Euthym.

17.

ARIA in hac re sunt Patrum sententia. Primò D. Hieronym. per dexterum oculum, ac manum dexteram, intelligit affectus, ac vitia animæ, quæ dum nocent, amputanda sunt. Secundò D. Augustinus lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 13. D. Paschasius cap. 3. in Math. D. Hilarius, D. Anastasius (si ejus est opus) ad Antioch. quast. 70. Pacianus Epist. 3. Theophylactus, Euthymius, & D. Hieronymus, qui per oculum & manum dexteram interpretantur consanguineos, cognatos, amicos, ac familiares, quos sæpe dicere solemus, quòd ita diligimus sicut oculos; si eorum conversatio, ac sollicitudo impedit ad salutem, amputanda, & abjicienda est à nobis. Audiant hoc Religiosi, qui cum sint à seculo separati, ita consanguineorum suorum implicentur negotiis, ut ad seculum redeant, & mille distractiones patiantur. Accipe D. Hieronymum hic, Affectus assinium, ac propinquorum, si ad contemplantam veram lucem nobis impedimento esse cernimus, debemus truncare istiusmodi portiones, ne dum volumus, lucri ceteros facere, ipsi in aeternum pereamus. Unde dicitur de Sacerdote magno: Cujus anima Dei cultui dedicata est, Levitic. 21. num. 2. super patre, & matre, & filiis non polluetur: id est, nullum affectum sciet, nisi ejus, cuius cultui dedicatus est.

Tertio. Auctor Imperfectus, & Thomas, ac alij per oculum, ac manum dexteram intelligunt intellectum, ac voluntatem; per oculum, ac manum sinistram sensum, ac carnis appetitum interpretantur: tanquam doceat Dominus, non solum corporis sensus ab appetitibus refræandos, sed etiam mentem, ac voluntatem à noxiis removendam, ac refecandam.

Quarto. Imperfectus homil. 12. intelligit per dexterum oculum, ac manum dexteram, oculorum puritatem, ac opus sub prætextu pietatis. Si tamen hujusmodi opera, quæ alias videntur bona, tibi scandala, & offendicula pariant, omnino sunt amputanda. Ita ait ille: Pura erat mulier quadam religiosa, & virgo, vel vidua: respexit, & consideravi, & dixi: Debeo visitare illam mulierem assidue; ut si quid Religionis ignoret, quasi mulier, instruat eam, & confirmem ipsam in bono proposito ejus. Bonus respectus est iste, & dexter oculus. Sed dum assidue visito eam, decidi in laqueum desiderij ejus; & ille bonus respectus meus, & dexter factus est mihi in scandalum. Oportet ergo præcidere tale opus bonum, quod vel mihi, vel alteri generat malum. Idem Rupertus lib. 4. in Math. Et Euthymius. Dexterum sanè opus, al locutio cum pia, & religiosa scemina; instructio mulieris, & consolatio, ac levamen ad viduam. At si inde tibi pareretur offendiculum ad salutem, abiste ab hujusmodi opere, ne Religionis prætextus inferviat cupiditati, ne species pietatis lenocinetur libidini.

Quinto. D. Laurentius Novariensis homil. 1.

de penitentia, Quam ob rem dictum est, ait, Si oculus tuus dexter, vel manus tua dextera scandalizat te? nisi quia omne, quod bonum est, dexterum dicitur: similiter malum appellatur sinistrum. Est pars dextera, & est pars sinistra: dextera suos retinet probatos, sinistra suos aquè reprobatos. Non dixit Dominus: Si oculus, vel manus, sinistra, sed si oculus, vel manus dextera; nam malum, ac turpe sinistrum dicimus; ac bonum dexterum appellamus. Omne, quod bonum est, dexterum dicimus. Cur ergo dexterum jubetur amputari? Quia non solum vitiorum scaturigines, ac nequitiarum fontes à malo opere, sed etiam à bono sæpe pullulant. O quantos decipit, ac protrahit in gehennam mentita probitas, simulata in sola apparentia virtus, & quod specie tenus dexterum videtur! Ab his ergo maxime cavendum: nam ab aperto, & sinistro malo quilibet terga vertit, & fugam capessit; à à falsa, ac simulata sanctitate facile paratur lapsus, & ruina, ideoque ibi est magna necessaria circumpectio atque cautela.

Sextò. Et literalis sensus est, quem tradunt Cajetanus, & alij, ut dixi in expositione. Est quædam metaphora, ut ait Maldonatus, desumpta ex Chirurgorum arte: sicut enim Chirurgus in medicamine agri membrum, quantumvis nobilissimum, ac maxime necessarium, ut oculum, vel manum dexteram, si morbus efflagitat, ferro abscindit, ne tota hominis vita periclitetur, & pereat; ita vos, ô discipuli mei, exhortor, & admoceo, quòd, esto aliquid vobis ita sit charum, ac jucundum, sicut oculus, vel manus dextera; vel licet sit ita necessarium ad vitam, sicut manus, & oculus dexter, cujus rei separatio multum tristitia, ac doloris vobis ingeret; tamen si in tali re vobis paratur scandalum, ac offendiculum in via salutis, abscindite, & proicite à vobis, ne tota vita spiritalis pereat, & ideo illud, omni commoditate contempta, tanquam inimicum, & adversarium repellendum. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. cap. 28. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Quod enim à felicitate nostra nos movet, etiam si amicitia lege nobis conjungatur, etiam si natura ipsa, & sanguinis propinquitate copuletur, non nostrum, sed hostile putandum est. Pondera ultima verba. Quæ enim nostræ salutis nocent, non nostra, nec tanquam ad nostrum modum spectantia reputentur, sed ut hostilia, & adversaria judicentur.

Septimò. Quæ etiam est multum probabilis explicatio, quam tradit D. Laurentius Novariensis homil. 1. de penitentia. Albertus Magnus, & alij. Jubet Dominus, erere oculum dexterum, & manum dexteram non ipsa membra materialia, ut planum est; sed illius operationes, & functiones, si salutem offendunt. Et dixi dexteram; quia hujusmodi operationes semper sunt principales, & nobiliores: & si officiant salutem, abscinde, & projice abs te. Tota enim obsequia nostra manus dextera à nobis exigit Deus.

Ex quo elegantem, & pulchram ponderationem facit S. Laurentius Novariensis citat. homil. Quid igitur, ait, si oculus tuus dexter scandalizat? discite, quid est, quod quando committis peccatum, oculo tibi ministrante, dulce tibi, & eventum dexterum videntur. Et dexterum hoc, tunc corrigitur in sinistrum; quando residente Domino, & conscientie peccata, caperis inter multos alios ipse audire:

Lauregt.

Non solum à malo opere, sed etiam à bono cavendum est.

18. Cajetan. Maldonat.

Omnia chara & dilecta amputanda ob salutem.

Cytil.

Quod contrariatur salutem, hostile reputandum.

19. Laurent. Alber. Mag.

Operationes salutis repugnantes amputanda.

20. Laurent.

Contraria peccatum, oculo tibi ministrante, dulce tibi, & eventum dexterum videntur. Et dexterum hoc, tunc corrigitur in sinistrum; quando residente Domino, & conscientie peccata, caperis inter multos alios ipse audire:

la dedit eam in fornicationem.

EXPOSITIO.

UPRA Dominus, ut rectè notat D. Thomas, removel illicitam committio. D. Thom. nem contra matrimonij legem; hic removel illicitam conjunctorum separationem. Et ait, Dicitur est. Jam supra est explicatum: Audistis, quia dictum est antiquis. Vide ibi dicta. Quicumque dimiserit uxorem suam, hoc est, repudiaverit, seu absolverit, non habet Arias, de illi libellum repudij; id est, instrumentum, seu chartam mulieris dimissæ, seu libertatis ejus. Ego autem dico vobis, hoc est, aliorum trado doctrinam. Qui dimiserit uxorem, ex eorum fornicatione, sub nomine fornicationis aliqui quodlibet crimen intellexerunt. Cui opinioni videtur favere D. Augustinus lib. 1. de serm. Domini. & Origenes hinc tract. 7. At hæc opinio sustineri non potest: quia Jure Canonico, cap. quæstionis de divortis, determinatum est, divortium non licere ob furtum, vel aliud crimen, nisi ob certas causas, quæ determinatæ sunt in jure. Et id ipsum retractat. D. Augustinus lib. 1. retract. cap. 19. Alii per fornicationem intelligunt infidelitatem; nam hæc ita passim appellatur à Prophetis, Tamen communiter hic interpretet per fornicationem intelligunt illicitum concubitum, sive per adulterium sive per Sodomiam.

Facit eam mœcham, hoc est, causa est illi ut mœchiam committat: nam mulier, sive alteri nubat, sive innupta maneat, & fornicetur, adulterium perpetratur, semper enim manet vinculum primi conj. gij: nam licet per divortium fiat separatio quoad thorum, non tamen quoad vinculum, ut cum multis explicat Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 2. num. 3. Nec enim illa particula excepta fornicationis causa, ita est intelligenda, quòd si mulier, verbi gratia, dimittatur ob fornicationem, liceat ei alteri nubere. Hoc expressè juxta sacros Canones est prohibitum à Concilio Tridentino sess. 14. can. 7. Sed est intelligenda cum D. Augustino, S. Thoma hoc loco. Quod si ipsam dimittat ob causam fornicationis, ipse non facit eam mœcham: sed ipsa, cujus est reatus. Si vir dimittat uxorem injustè, verbi gratia, quia eam invidiam, ac in odio habet, vir est in causa, si mulier adulterat; nam ipse eam exponit adulterandi periculo. At verò si mulier dimittitur ob fornicationem, sive ob causam justam, non facit vir eam mœcham, nec exponit eam periculo; sed ejus reatus est in causa, ut ipsa adulteret, ac sit in tali incontinentia. Et qui dimissam duxerit, adulterat. Ut explicat Glossa, mulier dimissa debet manere innupta, vel viro reconciliari, ut Paulus ex præcepto Domini nos docet. 1. Corinth. 7. num. 10. Sed de hoc latè erit dicendum, Deo dante, ad cap. 19. Matth. numero 9.

Per qua qui Deo obsequia præstat, recipit præmia.

12. Prov. 9. Tertull.

Ex mortificatione carnis gloria in celo comparatur.

Tertull.

audire: Discedite à me maledicti. Quando homo incipit, ac labitur in peccatum, quid ei videtur suave, dulce: ac dexterum, ac verò si in hujusmodi suavitate, ac dextera peccati inhæreat, sine dubio in districta ira die ad Judicis sinistram apparebit; nam dextera peccati, Judicis lucratur sinistram. Amputa ergo hanc dexteram tuam à via perditionis, & dirige eam ad tramites justitiæ, ut ex amputatione tuæ dextera à pestilenti morbo, ex illius ad charitatis opera extensione dexteram Judicis assequi merearis: nam apud Deum ex obsequio præstito præmia recipis.

Sapientia edificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, Proverb. 9. numer. 1. & 2. Singulariter Tertullianus citandus legit hæc verba: Immolavit victimas suas: Jugulavit filios suos. Valde mirum, quòd dum sumptu Dei altitudo erigit amplissimam domum, firmis columnis fundatam, parat suavissimum convivium, filios suos jugulat, ac mactat. Ad quid hujusmodi mors, cum tanta lætitiæ amplitudine? O mira Dei sapientia! Jugulat filios suos, ac electos suos à nobis, ac possessionibus terrenis, à delectationibus hujus sæculi, ut valeant celesti palatio æterna sceleritate divini convivij frui, ac oblectari. Non jugulantur filij ut pereant, sed incolumes per æternitatem vivant. Tertullianus lib. adversus Gnosticos, cap. 7. Sophia jugulavit filios suos. Sophia sapientia est. Sapienter utique jugulavit, dum in vitam, & rationally, dum in gloriam. O Parricidij ingenium! O sceleris artificium! O argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, ne moriatur, quem occiderit.

Matth. 5. 31. Dicitur est autem Quicumque dimisit uxorem suam, det ei libellum repudij.

Numer. 31. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœcham: & qui dimissam duxerit, adulterat.

VERSIONES.

Arias. Pronunciatum est: Quicumque absolverit uxorem suam, det ei repudium.

Varabius. Ego dico vobis. Quisquis repudiaverit uxorem suam, præter causam stupri, efficit, ut illa committat adulterium: & quicumque repudiata duxerit, adulterium committit.

Arabicus. Excepta fornicationis cau-

QUÆSTIO IV.

Quid esset libellus repudij?

24. **L**IBELLUS repudij erat charta, seu instrumentum publicum: nam hoc apud Hebræos Libellus nuncupabatur; & dicebatur etiam repudiarium, ut hic innuit Theophylactus, & per illud mulier dimittebatur à viro suo; & in illo libello scribebatur causa repudij, & dos, quam ei vir dabat, ac licentia, quam mulier suæ libertatis habebat, ut si vellet, alteri nuberet, ut notat hic S. Thomas. Formam libelli brevitatis causa omitto. Vide illum apud Janfenium, Maldonatum ad cap. 19. *Matth. num. 9.* & Oleastrum, ac Cornelium à Lapide; *Deuteronom. 24. num. 1.* Et notat hic D. Thomas, quòd quamvis permillum fuisset à lege, aliquando dimittere uxores, *Matth. 19. num. 2. Marc. 10. numero 4.* tamen uxori dimissæ dare libellum repudij, fuit præceptum. *Deuteronom. 24. numero 1. Scribet libellum repudij, & dabit in manu ejus.*

25. Dubitatur à quo scribebatur libellus repudij: Ab unoquoque posse scribi testatur Abulensis *quest. 72. ad 2.* Et magis approbat Barradas hic, qui addit, quòd fortasse satis erat, si à viro scriberetur, & à testibus subscriberetur; & ita scriptura manebat probata, & authentica: etiam sine Judicis auctoritate. Quod ipse confirmat, quia B. Joseph cogitavit de repudianda B. Virgine occulte sine auctoritate judicis.

Auguf. Sed probabilior est sententia D. Augustini *lib. 19. contra Faustum. cap. 16. & cap. 29.* Quòd hujusmodi libellus à legis Scribis solum confici, & scribi poterat. Et hoc multis de causis dispositum est. Primò, quia, ut videmus apud nos Scriptura authentica manu publici Notarij debet esse exarata, ac conscripta. Secundò, ut per conquirendum Scribam, adeundum ad eum, si aliqua esset ira deferre fecerit, odium mitigaretur: nam dandus est locus iræ. Et homo posset cogitare, dum iret, se juri suo cedere, & à manu dimittere eam, quam habebat suo servitio additam. Tertio. Ab scribis mittebantur, qui erant juris docti, in legeque maximè instructi, ut eorum consilio in hoc negotio adjuvarentur, ac cum uxore sua viri pacificarentur. *Ad hos igitur, ait Augustinus, quos oporteret esse prudentes legis interpretes, & justos dissidij dissuasores: lex mittere voluit eum, quem jussit libellum repudij dare.* Nec ea, quæ dicunt de B. Joseph, faciunt aliquid in contrarium; quia ipse non cogitavit de dimittenda B. Virgine per libellum repudij, sed per sui absentiam, vel discessum per aliquod tempus. *Vide lib. 1. cap. 10. quest. 7. num. 29.*

QUÆSTIO V.

Quare Christus hic solum fornicationem expresserit?

27. **T**ERTULLIANUS lib. 4. *adversus Marcionem, cap. 34.* Paulus Burgenfis *Deuteronom. 24. numero primo.* Ribeira *Malach. 2.* existimant,

ob solum fornicationem, seu adulterium, Ju-
dæis, uxores suas dimittere, fuisse permis-
sum, sed probabilior est contraria sententia,
scilicet non solum fornicationem, sed alias apud
Judæos repudij fuisse causas. Ita docent D. Chry-
sostomus *homil. 17.* D. Augustinus *lib. 1. de serm. Dom. in monte c. 16.* Paschasius *lib. 3. in Matth. D. Thom. quest. 67. additionum. art. 6.* Abulensis *Matth. 19. quest. 55.* Oleaster, Lyraus, Cornelius à Lapide *Deuterom. 24. num. 1.* Nam ibi dicitur: *Si uxor non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fornicationem, seu, ut alij legunt, propter aliquam turpitudinem.* Quod non solum dicit adulterium, sed alia crimina denotat, de quo latius erit dicendum ad cap. 19. *Matth.*

Cum ergo essent alia repudij causæ, Cur Dominus hic solum exprimit fornicationem? Respondendum est cum Chromantio Episcopo. D. Paschasio, quia alia causæ, ut morbus lepræ, epidemæ, servitus, sunt veluti causæ generales ad quamlibet amicitiam, ac unionem dissolvendam, at adulterij turpitudinem ex diametro contraria est matrimonio, ac fidem ejus violat; nam mulier potestatem sui corporis, viro datam, alteri tradidit, viroque ademit, per quod mulier maximè redditur exosa, & odibilis viro. Valde enim execrabile est adulterij nefas, ac inter conjugatos vehementer detestabile, & divino conspectui maximè invisum, omnique peccata, ac supplicio dignum.

Dixit Lamech uxoris suis Ada, & Sella: Audite vocem meam; uxores Lamech, auscultate sermonem meum, quoniam occidi virum in vulnere meum, & adolescentulum in ivorem meum: septuagies ultio dabitur de Cain, de Lamech autem septuagies septies, Gen. 4. num. 23. Cur, quæso, neque Lamech, ita multiplicatur super flagitium Cain, nam septies peccata ascribitur Caino, at in Lamech ita excrevit ultio, ut septuagies septies ei infligatur! Crimen Cain occidit Abel, crimen Lamech commisit adulterium. Interlinealis. *Primus Lamech contra naturam, & contra mores adulterium commisit.* Et si rectè res expendatur, multo majorem penam videtur exflagitare crimen Cain, nam ipse, odio, & indigna tabescens, occidit fratrem justum, ac Sacerdotem. Cur ergo ita excrevit peccata in Lamech? Erat hujus scelus adulterium, & ideo multo majori ultione dignum judicatur, quam fratricidium, & interfectio justus, ac puri Sacerdotis. Deinde acutiùs rem expende. A Caini septima generatione diluvium diffusum est in Orbem. At verò à Lamech septuagesima septima generatione pretiosissimus sanguis Christi manavit in mundum. Fratricidium Caini universali aquarum inundantia aboletur, ac à tali sceleris totus Orbis tanto supplicio mundatur. At adulterium Lamech altius remedium perquisit, non aquarum fluxu, sed salutifera perfusione sanguinis Christi septuagesima generatione illius sordes mundantur, & absteruntur. Adulterij nefas, non aquarum collavie, sed profluxu sanguinis Christi diluitur, ac expungitur. Hoc docet Nicolaus Papa *in decretis 24. quest. 3. cap. an non,* scribens Lothario Regi. *An non dissidat ultione feriendus es, qui in anabus uxoris adulterium Lamech, & flagitium inuitus esse dignoscis: quod Dominus non nisi potest septuagies septies generat*

generationes suo salutifero adventu delevit, cum Cain fratricidium septima generatione aquis abolitum sit cataclysmi, id est, diluvij. Idem docet Albinus *quest. 19. in Genes.*

QUÆSTIO VI.

Quid Christus hac sua doctrina addiderit supra legem?

30. **C**HRISTUS Dominus hac sua admirabili doctrina in multis veterem corrigi, ac perficit legem. Et primò, ut notat Maldonatus, Cornelius à Lapide, nam in lege veteri multa exabant repudij causæ, *Deuteronom. 24. num. 1.* Christus verò hoc tantum permisit, fornicationem, & adulterio interveniente. Tunc innocens ab adulterio discedere potest. Secundò, Lex vetus soli viro, ac marito concedebat jus dandi libellum repudiatum; Christus verò in hoc matrimonij jure utrumque conjugem facit æquales, ut advertit hic Augustinus, & docet Apostolus *1. Corinth. 7. num. 4.* Tertio Lex vetus repudiari, quam repudiata secundas concedebat cum altero nuptias; Christus verò has utrique negat: nam matrimonium, quoad vinculum est indissolubile, licet quoad thronum fiat separatio.

Matth. 5. n. 33. Iterum audistis; quia dictum est antiquis: Non jurabis: reddes autem Domino juramentum tuum.

Numer. 34. Ego autem dico vobis: Non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est.

VERSIONES.

Ex Habreo, Syriacus. Non jurabis falso. Dictum fuisse antiquis: Non mentieris in juramento tuo, sed persolves Domino juramentum tuum.

Theophylactus. Neque per cælum quia sedes Dei est.

Vatablus. Quia solum Dei est.

EXPOSITIO.

31. **N**OTAT hic D. Thomas, quòd Dominus supra ordinavit irascibilem, & concupiscibilem ad suas passiones; hic verò ordinat rationalem respectu veritatis. Ait Christus: *Non perjurabis;* seu, ut est in radice Hebraica, *Non falso jurabis.* Hoc mandatum erat in lege *Exod. 20. num. 7. Levitic. 19. num. 12. Deuter. 15. num. 11. Malach. 3. num. 5.* *Persolves Domino juramentum tuum,* ut explicat Chrysoctomus, *Servabis*

juramentum tuum; hoc est, ea, quæ promisti juramento, sive Deo, sive homini, adimplebis, veluti debita Deo, quem adduxisti in testem. Et hic est legitimus sensus. Aliqui recentiores cum Cajetano hic, & Barrada, ac Suatio *tom. 2. de Relig. lib. 3. de juramento, c. 1.* ita expendunt rem: Per solves Deo juramenta, id est, jurabis per Deum, & non per idola, seu non idolis, sed Deo tribues juramentum, invocando ipsum in testem.

Ego autem dico vobis. Ego ampliore, & excellentiorem trado doctrinam, *Non jurare omnino.* Tripliciter exponitur illa particula, *omnino.* Primò D. Bernardus *serm. 65. in Cantic. exilii.* Bernard. mat, hoc non esse præceptum, sed consilium. Et verò communiter apud Patres & Auctores præceptum esse reputatur. Et ideo est secunda explicatio, & optima Alberti Magni, D. Thomæ, Cajetani, Hugonis. *Non jurare omnino,* hoc est, ex qualibet causa, seu sine legitima causa, quia non est jurandum, nisi gravi urgente causa, & quando hoc necessitas postulat.

Tertio. Hieronymus *hic, & D. Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte & lib. de Mendac. c. 15.* Prohibetur non effectus jurandi, sed effectus, hoc est, quantum in te est, non ames, non velis jurare, neque cum aliqua dilectione id appetas. Intendit enim Dominus tollere assiduitatem, profectudo suæ sententia. *Eccles. 23. clesiastici 23. num. 9.* *Juramenti non assuescatis os tuum, multius enim casus in illa.* Unde rectè ait idem Augustinus *serm. de periculo. Falsa juratio perniciosa, verà periculosa, nulla secunda.* Et explicat Dominus, non jurandum, neque per Deum, neque per creaturas, ut enucleabo *quest. seq. Et ait, Non jurabis, neque per cælum.* Chrysoctomus hic per cælum intelligit omnes creaturas superiores, Angelos, stellas, Alij, ut sonat, *iosum cælum.* Quia thronus Dei est, hoc est, ejus sedes. Et ideo qui jurat per cælum, per Deum jurat, quia cælo, ut sua sede utitur Dominus; & hac de causa, qui jurat per cælum, jurat & per eum, qui in illo sedet, ut ipse Salvator dixit *Matth. 23. num. 22.*

QUÆSTIO VI.

Errores Scribarum circa juramentum, Dominus damnat.

DUBITANT hic Patres: An Dominus hic prohibuerit juramentum per Deum? Unde ait in presenti D. Hieronymus. *Considera, quòd hic Salvator, non per Deum jurare prohibuerit, sed per cælum, & terram.* Idem habent D. Hilarius, & alii. Mihi tamen dicendum videtur, quòd in illo generali præcepto, *Non jurabis omnino;* ibi vetat juramentum per Deum: nam qui docet declinare juramentum per id quod est minus, scilicet creaturas, à fortiori docet fugiendum per id, quod est majus, nempe Deum. Christus autem distinctè, & directè totum sermonem convertit ad juramentum per creaturas, ut explicet, ac perficiat secundum Decalogi præceptum, Scribarumque amputet errorem, & veram proferat, sanamque doctrinam.